



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Sponsalibus & matrim. Consilium DXXXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

lariter nemo audiri solet, l. Cum profitearis C. de re-
voc. donat. l. Transfatione C. de transfat. quia hoc ju-
gum necessitatis hereditarie successione cum onere
sustinenti ari alieni à se excutere laboret per
allegationem, quod illegitimè in conjunctionem
cum dicto Ioanne contra præscriptum Canonis
venerit: nam non tam allegat suam turpitudinem,
quàm demonstrat, nullam causam esse, cur etiam
si maximè vellet, posset esse marito suo etiam vo-
luntaria, multò minus necessaria hæres. Exemplo
illius, quod Papinianus eleganter respondit, in l.
Avunculo de condit. sine causa, de eà, quæ nuptura
suo avunculo (quod etiam civilibus, non tantum
Ecclesiasticis legibus prohibitum est, §. fratru insti-
t. de nuptijs, l. Si adulter §. stuprum ad leg. Iul. de adult.
c. Non debet de consang. & affi-), ei pecuniam in do-
torem dedit; quod ei illum repenti avunculus obje-
cere non possit, quod ob turpem causam dedit, t.
ideoque potior sit ipsius, tamquam illam pecuniam
possidentis, conditio: quia non tam ob turpem,
quàm ob nullam causam, illam dederit; & sic eam
conditione sine causa rectè repetere. Quæ turpi-
tudinis consideratio in proposito ideo minus at-
tendi debet, quod causa, quæ in hoc casu, matri-
monio contrahendo impedimento fuit, & illi vi-
tium injectit, non fuerit perpetua, neque ex iure
divino, aut naturali, ex quâ semel contractum vi-
tium ineluctabiliter manet, & ob turpitudinem, penâ
perpetuam secum trahit, ut est in incestis, & veti-
tis nuptijs, l. Qui contra & seq. C. de incest. & inuti-
li nupt. sed tantum temporalis, & ex iure commentio-
leu positivo; ideoque facile emendari potuit, si
fuit; nec tam acerbam legis penam secum traxisset
omisso per Concilium Tridentinum præscripta
forma, quæ in proposito inhabilitatem facit; quin
postea quodcumque emendari potuisset, si co-
ram proprio Parocho, & testibus postea inter eos-
dem, denudè formaliter & legitime contractum
fuisse matrimonium. Quemadmodum & in peris-
que alijs casibus usu venit; ut in matrimonio inter
impuberes, & cum impubere contracto, extra de
desponsat. impub. item in matrimonio contracto in
provincia, per eum, qui provincie præest, l. 4. De
rius nupt. l. Esi contra mandata C. de nupt. ita ut hac in-
re non tam turpitudinem, quàm temeritas obversetur.
Ad cujus turpitudinis excusationem quoque pluri-
mum conferunt, quæ in facto proponuntur de cau-
sâ harum nuptiarum, de obedientiâ, & simplicitate
puellæ, de causâ publici boni, & pacis conse-
quendæ per hoc cum dicto Ioanne de facto saltem
contractum matrimonium: ob cujus publicæ pacis
consequendæ vel retinendæ bonum, multa contra
iuris regulas permittuntur, vel tolerantur, c. 2. De
desponsat. impub. & ibi gloss. fin. l. u. de con. 333. Quoad
primum nu. 13. & 14. late Andr. Barbatia cons. 1. vol. 3.
Quem articulum in prædictâ consultatione satis
discussimus, latius non prosequimur.

Aliud est, quod potentius dictæ Domicellæ An-
næ in averfione huius necessariæ successione ob-
stare videtur, quod se pro hærede dicti sui mariti
gessisse videatur, per hoc quod Illustrissimo Prin-
cipi Parmensi supplicata pro averfendo indicto,
seu superindicto Magistratus Gandavensis se viduâ
dicti Ioannis appellaverit, & sub prætextu matri-
monij cum eo contracti immunitatē & excusatio-

Conf. Wamelf. Tom. II.

nē ab eo minere impetraverit. Sed veritati præju-
diciū non facit ea enuntiatio pronuntiatio, ob id,
quod viduâ appellatio, ex ratione etymol. omnibus,
quibus maritus non est, congruat etiam virginibus,
Macrobius lib. 2. Satur. c. 15. juxta illud apud Senecam in
Agamemnone, ante morantur virgines viduæ domi;
multo ergo magis corruptis, quæ vel stuprum passæ
sunt, vel in concubinato fuerunt, vel inutiles habue-
runt matrimonium. Quod pertinet taboloni ex La-
beonis sententia responsum, in l. Malum §. 2. 4. 2. viduam
de verb. signific. viduam non solum eam appellari,
quæ aliquando nupta fuisset, sed eam quoque mulie-
rem, quæ virum non habuisset, Quod non tantum
ad factum, sed etiam ad jus referendū esse putamus
ut nihil intersit, an nō nupserit de facto; an verò de
facto quidē, sed nō iure nupserit: eū nihil intersit,
an nihil omnino factū sit, an factū quidē, sed non
iure, seu vitiose, l. Quoties Quisquis cog. Sed ut ita sit
quod opinione veri antea sit, & per mortē Ioannis
soluti matrimonij, dicta Anna supplicando Prin-
cipi Parmensi, se pro legitima viduâ g. s. sit; nullum
tamen præjudiciū inde referre debet: falsa nam-
que opinio, reputatio, seu nominatio veritati præ-
judiciū nō facit, l. Cum falsa C. de iur. & s. sit. nō.
Et in omnem eventum Anna averfendo à se h. g.
onus indicti, seu superindicti, nō potest dici se ges-
sisse pro hærede Ioannis, nec se illius hereditatem
miscuisse: nā ut hoc onus ei, respectu proprii capi-
tis, & propriorum bonorum, Magistratus impone-
re voluit, ita potuit ipsa illud à se avertere citra jus
& nomē hæredis, & sic sine periculo vel immisio-
nis, vel gestio- pro herede, l. Pro herede post prim. &
§. Papinianus in fin. De acq. hered. Quæ omnia, ultra eā
quæ per prius consultum amplè deducta sunt, cum
manifestum faciant Domicellam Annam nec esse,
nec esse potuisse iure contrahere D. Ioannis heredē,
sive voluntariam, sive necessariam, nobis videtur
expeditissimum, & extra omnē dubitationem, eam
neq; à dicto Domicello Danielē, neq; ab alio quo-
quam dicti Ioannis creditore conveniri aut exigi
posse pro quocumq; illius debito, etiam constante
isto matrimonio, multò minus ante illud contra-
cto; idque communi Iuris beneficio; quo ut ipsa ita
quoque creditores respectu maritalis successione de-
stituuntur, & consequenter nihil necesse erit ad Re-
giæ Majestatis vel ordinariæ, vel absolutæ pote-
statem pro averfendo vel subterfugiendo isto onere
cōiungere, l. in causa 2. De minorib.

De Sponsalibus & matrim.

S V M M A R I U M.

Matrimonium coram presbytero non proprio pa-
rocho.

1. Clausula decreti irritantis potestas.
2. Publicationes banorum omisse non annullant ma-
trimonium.
3. Publicationes banorum necessaria non sunt ad sub-
sistentiam matrimonij.
4. Relationis potestas.
5. Confessio falsi non præiudicat.
6. Retinere qui intendit de novo non acquirit.
7. Præsens quis intelligatur, dum præsentia requiritur,
præsertim in contrahendo matrimonio.
8. Matrimonium an sine peccato, invito parentibus rectè
contrahant liberi.

V v 2

CON-

CONSILV DXXXI.

RICHARDVS R. & Domicella Anna E. adolescentula in patris sui potestate constituta, durante rebellionē civitatis Antwerpiensis per verba de præsenti coram quodam Domino Nicolao L. Presbytero, non tamen alterutrius proprio Parocho, nec de proprij Parochi aut Ordinarij licentiā ad hoc constituto, nullo alio præsente, sibi invicem dederunt fidem matrimonialem; & de se invicem numquam deferendo sub iuramento promiserunt; eandemque fidei dationem & promissionem paulo post in scriptis cum subscriptione utriusque recognoverunt; promittendo eandem promissionem observare, & non infringere sub formali interposito iterum iuramento. Detecto deinde clandestino hoc contractu, & patre præsente Anna ad hoc omnibus modis laborante, ut progressus huiusmodi clandestini matrimonij, inter ventu carnalis copulæ non consummari, impediretur; eadem Anna in proposito perseverando dixit & declaravit præsatum Richardum suum esse maritum; nec se illum umquam deserturam; præsato Richardo similiter in eandem sententiam respondente. Proponitur ulterius, quod secunda Iunii anno 1586. Domino Stephano L. proprio dictorum Richardi & Annæ, seu alterius eorum Parocho dictæ Annæ patre, aliquot ejus cognatis, seu amicis, iisdemque Richardo & Anna in quadam domo præsentibus, dictisque patre & amicis præsatum Dominum Stephanum interrogantibus, an inter dictos Richardum & Annam esset rite contractum matrimonium, idē Dominus Stephanus responderit, inter illos non esse verum matrimonium, propter testium non adhibitorum defectum: quodque dicta Anna id audiens, in eadem prædictorum omnium, & præsertim præfati Pastoris præsencia, interrogando dixerit, *Non est matrimonium, ubi testes præsentes non fuerunt? Ego dico nunc adhuc, iam sunt testes sufficientes, quod sit meus maritus coram Deo & mundo, & cupio assidui, quia ego illum nunquam deferam: dictumque; Richardum huiusmodi verba acceptando, eodem quali momento in præsencia eorundem prædictorum dixisse; Ego teneo illam pro mea uxore, & ego illam nunquam deferam. Queritur, an per præmissa inter dictos Richardum & Annam legitimum contractum sit matrimonium; & an illius validitati nulla ex parte obstat præscriptum sacri œcumenici Concilij Tridentini, sess. 24. c. 1. de reformat. matrim.*

Nulla est dubitatio, quin omnimoda & absoluta sit nullitas in priore illa reciproca, quamvis etiam juratā fidei datione, factā coram Domino Nicolao L. propter decreti Conciliaris apertam dispositionem, constituentem omnimodam inhabilitatem contrahendi matrimonij aliter, quam præsente proprio Parocho, aut alio sacerdote de ipsius Parochi aut ordinarij licentiā, & duobus aut tribus testibus: adiectā clausulā decreti irritantis, & annullantis contractus matrimonij aliter initos: ita ut fundamentum aliquod matrimonij constitui non possit in hac clandestina fidei datione, nullis testibus adhibitis, & non coram proprio Parocho interpositā. Irritantis enim clausulæ vis & potestas tanta est, ut juris auctoritas

contrahentium voluntatem superet, & quicquid in contrarium agitur, ipso jure subvertatur: ut nullatione sustineri possit, c. *Dilecto de praben. c. Statutum in fine De re script. lib. 6.* etiam in contractu matrimonij, Conc. Trident. d. sess. 24. c. 1. vers. *qui aliter quam*; quamvis aliās cū de illo sustinendo agitur, maximē favorabili. Cū alioqui sola Canonis, seu legis prohibitio per se sufficiat ad hanc nullitatem constituendam, l. *Non dubium C. De legib. d. c. dilecto.*

Iustior est dubitatio, anne saltem utiliter, & efficaciter vis contracti matrimonij constituenda sit in verbis postea prolatis coram supradicto Domino Stephano, qui alterius horum proloquentiū proprius Parochus fuit, & sic idoneus, coram quo legitime ex dicti decreti præscripto matrimonium contrahi potuit? Sed nec in his sic prolatis verbis utilis ac legitimi matrimonij potestas, & effectus constitui potest: saltem non ex eo, quod alioqui primā facie non improbabiler videri poterat, quod nullis præcedentibus proclamationibus, seu denuntiationibus hic actus coram dicto Parocho intercesserit, & hæc verba ultro citroque pronuntiata sint. * Etsi enim in dicto Concilio Lateranensi constitutione, c. *Cum inhibito De clandest. desponsat.* præcipiatur huiusmodi denuntiationum observatio; nec essitas tamen observationis illius non refertur ad nullitatem matrimonij, siliis denuntiationibus prætermisissis matrimonium contrahatur coram proprio Parocho, Ignat. Lopez in addit. ad pract. crimin. Bern. Diaz. c. 73. de j. qui clandest. nupr. inter. Inhabilitas namque contrahendi matrimonij per illud decretum in eo tantum constituitur, si quis attenter matrimonium contrahere aliter, quam coram proprio Parocho, aut alio sacerdote de illius, aut Ordinarij licentiā, & duobus, aut tribus testibus; & minimē in eo, ut quis id non possit sine præcedentibus denuntiationibus: ea enim in parte jus vetus per hoc subsequens decretum renovatum dumtaxat est, & relictum in suis terminis, ac vigore pristino; qui ut prius ita quoque nunc consistit dumtaxat in effectu vitij clandestinitatis; quod non semper annullat matrimonium, sed effectum illius aliquatenus restringit; & in hoc potissimum, quod quamvis aliās matrimonium contractum in facie Ecclesiæ, præcedentibus his denuntiationibus, inter eos, qui gradu consanguinitatis sibi invicem proximē junguntur, impedimentum faciat ad constituendum legitimam natiuitatem prolium, ex huiusmodi illicito matrimonio natarum, c. 2. c. *Ex tenore Quis filij sint legit.* contractum tamen, omisiss his denuntiationibus, quamvis in facie Ecclesiæ habeatur pro clandestino, & obstat legitime natiuitati prolium, d. c. *Cum inhibito*. §. *Si quis vero*, si aliunde contrahendo matrimonio intercedat impedimentum, quo alio impedimento cessante matrimonium quidem, quamvis sic clandestinum, jure valet & natiuitas prolium iusta est: sed sic temerē canonis præscriptum contemnentibus seu negligentibus poenitentia ad poenam indicij debet, d. c. *Cum inhibito. in fine*; imō etiam poena infligi arbitraria tamquam transgressoribus sacrorum canonum, Menoch. de præsumpt. lib. 3. *Præsumpt. x. in fine Ignat. Lopez. loca supra cit.*

Et

Et hoc modo sine præcedentibus denuntiatio-
nibus contractum matrimonium coram proprio
Parocho & testibus, inter illos actus adhuc nume-
rari debet, qui fieri prohibentur; facti tamen te-
nent, ac valent, l. *parre furioso & Gloss. in V. retinere*
De his qui sui vel al. iur. & Ad Apostolicam De regular. ut
recte tradidit Martinus Azpilcueta Navarrus, in
mannali confess. cap. 22. nu. 69. Ac proinde probari
non possunt, quæ in hoc articulo ex professo tra-
didit Renatus Choppinus, lib. 2. de sacra politia tit.
7. de leg. dioces. nu. 3. & lib. 3. tit. 7. de emphyteusi n.
14. ex facto quoque consulti responderunt Iaco-
bus Menochius, Ioannes Cephalus, & aliquot alij
Iure consulti, Quorum consilia sunt in 4. vol. consilio-
rum Menochij post consil. 317. de nullitate matrimo-
nij ex omissione huiusmodi denuntiationum, &
aliquot aliorum, quæ ad solemnitatem magis,
quàm ad substantiam matrimonij in dicto Conci-
liari decreto requiruntur. Prout etiam Theologi
super eo facto consulti inutilitatem matrimonij
non constituunt in omissione denuntiationum,
sed in articulo non adhibiti proprii Parochi, per
eos, qui non coram suo Parocho, quem in civita-
te, in qua domiciliares erant, habebant: sed coram
Parocho rurali, quò ad tempus diverterant, ma-
trimonium contraxerunt: atque ita per Parlamen-
tum Parisiense iudicatum esse, testatur dictus
Choppinus, d. tit. 7. nu. 14.

De quo nunc amplius dubitandum non est: ob
id, quod per Congregationem Illustrissimorum
Dominorum Cardinalium, ad interpretationem
& dilucidationem dubiorum, & difficultatum inci-
dentium super intellectu & executione decreto-
rum Concilij Tridentini, apertè & formaliter de-
claratum sit, quòd ex omissione denuntiationum
non inducatur matrimonij nullitas: si quòd coram
proprio Parocho, aut eo, qui ejus vice est, & testi-
bus contractus fuerit. Declarationis verba hæc sunt,

De Parocho autem, qui omisissis tribus denuntia-
tionibus, sine ordinarij licentia, aliquos desponsa-
verit, an matrimonium teneat?

Congregatio censuit matrimonium quidem valere, sed
Parochum ab ordinario puniri posse: extat apud Ignat.
Lopez locosupra cit.

Ex alio igitur constituenda dicta hujus, de quo
quæritur: affecti matrimonij nullitas; ex eo scilicet,
quòd cum matrimonium legitimum non possit
constitui, neque ex verbis coram præfato Nicolao
per dictos Richardum & Annam prolatis; neque
in dicta scriptura utriusque manu consignatâ, pro-
pter eorum inhabilitatem, ex dicto Tridentini
Concilij decreto contractam; non debeat etiam,
nec possit constitui in verbis postea in præsentia
præfati Domini Stephani enuntiatis: ob id,
quòd illa verba, si rectè expendantur, non sint
pronuntiata dispositivè, animo & intentione
tunc contrahendi matrimonij; sed tantum
sint enuntiativa, & relativa ad illa verba, quæ
prius fuerant dicta coram D. Nicolao, & scripta
in: præfata subnotatâ scripturâ; & sic continent
tantum confessionem antea contracti matrimonij,
& minimè præsentem actum de novo contracti
matrimonij coram dicto proprio alterutrius Paro-
cho: hæc enim verba, Ego dico, quod coram Deo &
mundo Richardus est meus maritus; Item ego teneo illam
Conf. Wameli. Tom. II

pro mea uxore, profecta sunt ex fundamento fidei
antea coram dicto D. Nicolao data, & per dictâ
scripturam corroborata, seu confirmata, opinio-
ne, & persuasione legitimi, & perfecti vinculi &
obligationis, consistentis in dicto fidei dationis
actu, & figura literarum dictæ scripturæ.

Cum autem hoc fundamentum sit fragile, & 4
secundum præmissa, in illa priore fidei datione &
scriptura, propter prohibitionem dicti Concilia-
ris decreti, & inhabilitatem, ex illa contractum,
non possit constitui verum & legitimum matrimo-
nium; sit, ut sequens illa confessio, quæ huic fun-
damento superinstructa est, nullas vires ad consti-
tuendum irrevocabile matrimonium habere pos-
sit, c. *Veniens De presbyt non baptiz.* Nec plus esse de-
bet in relatione, seu termino referente, quàm sit in
relato, l. *Si prior & ibi Bart. Solutio matrim. l. Si ita*
scripsero & ibi Bald. De cond. & demonst. cum relatio-
nis potestas sit, ut referentis censetur inesse relatum
cum omnibus suis qualitatibus, & conditionibus,
Bart. in l. 1. §. *fin. Si fam. furt. sec. dis. Decius conf.*
63. Pro tenui nu. 6.

Ut ergo per se nullum est, quicquid inter dictos
Richardum & Annam prius circa hunc contractum
matrimonij actus fuit, ita quoque nullas vires habere
potest sequuta ex illius præsuppositione confessio,
tamquam erronea. Non enim censetur fieri, qui
errat, l. *Non facietur De confess. l. Error C. De iur. & facti*
ignor. l. cum putarem Famil. excus. l. Si post divisionem C.
De iur. & facti ignor. idq; perinde in iure, ut in facto,
cum de damno & præjudicio contentis agitur,
Castrensis in d. l. *Error, Decius consil. 408. In præsent. n. 5.*
Quia igitur hæc confessio est de re, & causâ præ-
teritâ, eaq; falsâ, seu saltem nullâ, seu inutili, & in-
efficaci; non potest inde præjudicium aliquod ge-
nerari, l. *Avunculo De condit. sine caus.* Quid enim in-
terest, nullus omnino præcesserit actus, unde matri-
monium constitui possit; an præcesserit, sed qui ip-
so iure, seu iure illi repugnante, omnino nullus sit, c.
Ex una De cler. nov. resid. eod. enim loc. sunt nihil
& invalidi, l. Si aut nulli C. De legiti. hered. & ibi Bald.
& aliquid factum non esse; & factum quidè sed pro
non facto haberi, l. 2. & ibi Iason C. *De success. editio.*

Atque ita respiciendo ad veritatem originalis
actus, tamquam ad primam causam & fundamen-
tum hujus confessionis (ut semper oportet, l. *Qui*
id quod De donat. Bald. consil. 375. Quando constat vol.
2.) manifestum evadit, hanc harum personarum
confessionem, ac declarationem, quatenus refertur
& accommodatur ad id, quod nulliter seu inuti-
liter præcessit, nihil operari ad validitatem alicuius
matrimonij: cujus quidem tunc contrahendi
primùm, neuter horum voluntatem habuit, sed
tantum prius inutiliter contractum pervicaciùs sic
constitendo, & declarando retinere voluerunt, sed
sine effectu: retineri enim non potest, quod prius
habitum non fuit. Quò pertinet quòd ab Accur-
sio traditur, in l. 3. in princ. in V. *animo in fine De acq.*
possess. quòd ubi in præteritum tantum retinendi est
animus, non possit constitui intentio acquirendi
de novo. Et quævis ubi solus animus quocum-
que modo actus declaratus sufficit ad acquisitio-
nem, aut ad actus primam constitutionem, ten-
dens ad continuationem, retentionem, & con-
servationem ejus, quod efficaciter præcessisse
puratur,

Puratur, operetur saltem effectum novi actus, & acquisitionis; *Bart. in d. l. 3. in princ. nu. 31. Alex. consil. 146. in causa & litenu. 10. vol. 5. idem tamen dici non potest, ubi solus & nudus animus non sufficit; & præsertim ubi in actu constituendo requiritur aliqua juris solemnitas: ut est in proposito casu contractus matrimonij; quod ad suam essentiam requirit, ex præscripto dicti Conciliaris decreti, solemnitatem adhibiti proprii Pastoris, præsentiam duorum vel trium testium, & prolationem verborum ad contrahendum matrimonium aptorum. Potuerunt quidem dicti Richardus & Anna de novo coram dicto Domino Stephano tamquam proprio Pastore, & testibus præsentibus matrimonium contrahere; sed quia id non voluerunt, nec fecisse dici debent, ita ut non concurrente voluntate cum potestate, potestatis nullus sit effectus, nulla operatio, cum super in fin. De off. & potest. iud. deleg. l. Multum interest. C. Si quis alteri, l. Quoties in princ. De hered. instit. Quam dictorum sic contententium contrarium intentionem satis quoque arguit illud, quod dictæ confessioni Anna subjecerit, quod peteret, *affidari*; hoc est secundum præscriptum Concilij Tridentini solemniter matrimonium contrahere, si & in quantum propter defectum testium prius rectè contractum non erat. Si enim vim & effectum novi matrimonij constituturè intendisset in declaratione intentionis retinendi, seu continuandi prioris illius iniquiter contracti, & sic eà declaratione in præsentia etiam dicti Pastoris & testium, operata fuisset formale, solenne, perfectum matrimonium; nihil opus erat petere & aliam affidavitionem: nam semel factum, iterum fieri necesse non est, l. Si ita fuerit De manum. testam.*

7 Proinde non est in consideratione hic habendum ad aliquem juris effectum, quod alterius horum contententium, & declarantium proprius Parochus fuerit præsens, & quod coram illo, dictis alijs personis præsentibus, præsertim patre, cognatis, & amicis, matrimonium inter hos solemniter & efficaciter contrahi potuerit: nam potentia sola non sufficit, nisi id quoque actum sit quod agi debuit; idque non tantum ex parte eorum, qui matrimonio conjungi volunt, sed etiam ex parte Parochi & testium adhibitorum: ut scilicet & illi intelligant matrimonium contrahi, & præterea intendant suam præsentiam huiusmodi actui accommodare. Est enim ex dicto præscripto Concilij matrimonium contrahendum, Parocho, & testibus præsentibus: præsentibus autem non intelliguntur, nisi sint & hoc quod agitur intelligentes, l. Cora de verb. signif. glos. verb. in præsentibus in l. 1. c. De errore advoc. Ita ut in proposito non suffecerit nuda corporis fortuita præsentia, minimèque illa, quæ ad huiusmodi actum contrahendi matrimonij destinata non fuit per adhibitionem illorum, qui adhiberi debuissent, illis ad hoc rogatis, & specialiter requisitis: ut observari solet in omni solemnè testium aliarumque personarum adhibitione, *Aurb. Rogati C. de testib.*

Iam verò ex his, quæ pro parte Richardi in exhibitio libello contra dictam Annam proponuntur, & ex dicti Domini Stephani testimonio nobis exhibitio, manifestè constat, quod Richardus & Anna dictum Dominum Stephanum non adierunt

nec adhibuerunt, matrimonij contrahendi causâ; cum non per illos, sed per dictum patrem ad illum locum vocatus fuerit, ad illum finem, ut dictæ Anna remonstraret nullum vinculum matrimonij inter illam & Richardum fuisse contractum per illam præcedentem fidei dationem coram præfato Domino Nicolao, neque per dictam scripturam. Prout etiam constat testes, qui tunc præsentibus fuerunt, aliâ intentione interfuisse, ut scilicet dictam Annam amore erga Richardum irriterent & obcecarent ab eo abducerent, & averterent. Ita ut non possit dici, Dominum Stephanum, aut dictos alios tunc ad preces patris ibi congregatos, ad matrimonium contrahendum adhibitos fuisse, aut ad illum finem præsentiam suam accommodasse, ut ex prædictis verbis sic per illos prolatis possit dici contractum matrimonium.

De quo nunc dubitari non debet; ex quo per dictam Congregationem Reverendissimorum Cardinalium hic juris articulus liquidò decisus est; cuius decisionis verba ex Vrbe Romana ad has partes transmissa subiicimus.

An sit matrimonium, si duo contrahant per verba de præsentia, proprio Parocho præsentem, & alijs requisitis non omisis, cui tamen contractui Parochus formaliter adhibitus non fuit; sed dum forsan convivi vel fabulandi causa, aut aliud tractandi adest, audit huiusmodi contractum fieri; & postea alter contrahentium vult ab huiusmodi contractu ratione huius defectus resilire.

Congregatio Concilij censuit posse, nisi alia intervenire, quæ Patrochum à contrahentibus adhibendum fuisse arguant.

De cuius decisionis veritate si dubitatio orietur (ad manus nostras enim hæcenus non pervenit, nisi illius descripta copia) consultum erit, ejus exemplum authenticum ex Vrbe petere: nam hæc decisio videtur huius causæ definitionem extra omnem dubitationem ponere. Cum ergo in proposito nihil sit, unde tale aliquid argui possit; sed ex adverso ex prædictis potius constet de contrario; dubitandum non est, quin præfata Anna possit liberè à dicto Richardo recedere; etiam si dici posset in præfatis per eos pronuntiatis verbis aliquid latere, ex quo argui posset voluntatem fuisse utriusque non tantum continuandi illius prioris coram D. Nicolao contracti, sed etiam de novo contrahendi matrimonij, * In quam sententiam 8 Venerabilis Dominus Officialis huius causæ Iudex etiam proclivius descendere debet, ad potiùs dissolvendum, quam copulandum hoc vinculum; quod præfata Anna juvenula in parvis potestate constituta, contra omnem honestatem, can. Non omnis can. Honorantur can. fin. xxvii. q. 2. & ex inobedientia, non sine peccato mortali, Petrus à Soto instituit, sacerdot. tit. de sacrament. Dominicus à Soto in 4. sent. distinct. 28. artic. 1. in fine, laud. Menochius consil. 69. Navar. in manual. confess. cap. 14. nu. 15. aggregandi causa fuit; potissimum in tantâ horum prolatorum verborum, & huius actus ambiguitate. Et id quidem, si cessante omni metu, & coactione, dicta Anna à pertinaci illo suo priore proposito recessisset; nam si in voluntate præcisè habendi matrimonij cum hoc Richardo omnino persistat, putamus libertatem matrimonij non debere impediri. Et proinde

proinde rectè, & ex consilio Canonis, in c. cum locum De sponsal in Monasterio non suspecto sequestrata est dicta Anna ad conservationem libertatis; quam & leges, & Canones in matrimonio probant, & requirunt.

De Sponsalibus & matrim.

SUMMARIUM.

In causa matrimoniali an iuramentum deferendum.

1. Iuramentum quod in iudicio deferretur, an Iudex possit non admittere.
2. Matrimonium an contrahatur his verbis: promitto alteri non nubere nisi tibi.
3. Matrimonialis causa ardua est.
4. Iuramentum qui de matrimonio litigant sibi invicem deferre possunt.
5. Matrimonium requirit mutuum ac reciprocum, purum & non conditionalem utriusque consensum.
6. 8. Conditionalem actum qui egit, si iterum agat simpliciter, quando censetur sub eadem conditione fecisse.
7. Matrimonium ad consensum parentum referri honestum est.
9. Matrimonium non inducit missio annuli.

CONSILIVM DXXXII.

DIFFICULTATE aut perplexitate non parvè obvolvi videtur articulus altercationis, qui incidit in ardua matrimonij causa, quam Generosus Dominus Claudius Rihroock adversus Dominam Mariam Lidekercke coram Domino Officiali Gandavensi instituit, super eo, nūm permitti debeat Dominæ Mariæ, ut præstet iuramentum ex voluntate dicti Domini Claudij in iudicio ei delatum, super eo, quod verba literis suis ad Actorem scriptis inserta, quæ simplicem præsentis matrimonij contractum representant videntur, scripserit & intellexerit sub ea conditione, si parentibus sui placeret sive si actor parentum Mariæ consensum impetraret.

1. Difficultatis causæ sunt, quod quamvis iuramentum voluntarium seu conventionale a partium voluntate dependeat, ac sine Iudice, & extra acta deferri, & præstari possit, l. Admonendi De iureiur. iuncta l. si ve apud acta C. De testat. cum tamen in iudicio deferretur, Iudicis approbationem requirere videatur, vel expressam, vel tacitam, ut non contradicatur, Barbatta consil. 49. Quia præsens nu. 6. vol. 3. contradicendi autem potestatem habeat, si perjurij periculum imminere videat, si quod in conditione jurisjurandi ponitur, contraria probatione falsum esse constet: ut quemadmodum qui intentionem suam plenè probavit, pro supplemento jurare non cogitur, c. 2. De probat. l. si. in l. manifeste nu. 7. C. De iureiur. ita quoque Iudex eidem permittere non cogatur, ut in conditione jurisjurandi ponat contrarium illius, quod probavit. * Id quod in præsentis causa videri posset ex eo, quod literæ, in quibus Actor fidei datione collocat contracti matrimonij, plenam probationem continere videantur; hæc scilicet, *selon la promesse, que vous ay fait, ne penser jamais autre que vous; dont vous tiens pour mon mary devant Dieu, & le monde: & en signe de fidelité vous envoie ceste verge d'or, laquelle vous peut donner toute assurance.* hoc est, iuxta promissionem tibi

Conf. Wamel. Tom. II.

factam, me non cogitare alium, quam te; inde te teneo pro meo marito coram Deo & mundo; & in signum fidelitatis tibi mitto hunc anulum aureum, qui potest tibi dare omnem securitatem. Nam licet in controversia sit, num his verbis, *Promitto alteri non nubere, nisi tibi*, contrahatur matrimonium, quod plerique ex veteribus existimaverunt, *et alij in l. ex parte De sponsal.* plerique ex veteribus, & neotericis penè omnibus id improbantibus, *cepolla consil. 1. Alciat. in l. actione nu. 15. Car. Mojm. ad consil. Alex. 150. Viso processu vol. 5. Didac. Covar. in sua epit. l. de sponsal. & matrim. 2. parte cap. 4. §. 1. nu. 6.* & rectius, sic ut nec sponsalia ijs verbis contracta videri possint, *lo. n. Franc. Ripa consil. 1. Ex tribus sub tit. de sponsal. & matrim.* quia tamen subiungit in dictis literis, *Dont ie vous tiens pour mon mary*, hoc est, *Unde te teneo pro meo marito*, quæ præsentis temporis significationem habent, & à nulla conditione suspensa conspiciuntur, præsentis perfectique matrimonij potestatem habere videntur. Cujus perfectionis adminiculum adferre quoque videtur depositio unius testis, qui testatur, Ream sibi dixisse, quod cum Actore in promissionibus matrimonij staret, quodque alium maritum habere non posset. Cui consonat etiam depositio alterius secundi testis de simili confessione Reæ; qui hoc præterea addit, Ream dixisse, quod alter esse non posset, quodque res ita manere deberet; intelligens nimirum contracti matrimonij irrevocabilitatem. Quod etiam referendum videtur, quod deponit tertius testis, se rogatum fuisse à dicta Rea, ut renuntiaret Actori, quod maneret ipsi legalis, & fidelis, quodque teneret & observaret quod ei promiserat: atque item hoc, quod idem testis deponit, Ream rogasse, ut Actor literas fidei dationis remitteret, quod matrem placare posset, promittens antapocham, seu contrarias literas pro securitate Actoris: rursus quod deponit Ream admonitam agnovisse, magis marito, quam parentibus obsequendum esse. Quæ sanè omnia per se inspecta tam evidenter contracti, probatique matrimonij significationem continere videntur, ut si he absurditate aliò detorqueri vix posse videantur: ideoque nec absurdum, nec recti, constantisque Iudicis officio indignum dici debeat, quod in permittenda jurisjurandi delatione difficilem se præbeat D. Officialis, & non nisi exactiore cognitione, expensis omnibus Actoris probationibus, ejus vel potestatem vel denegationem facere velit. Quando itaque in ea deliberatione adhuc statut, & res integra est, videamus, an nihil sit, unde prædictis probationibus tenebræ offundi, & lux veritatis eis vel eripi vel imminui possit; hoc enim si fieri potest, id est si vel dubia, vel imperfecta aut aliunde claudicantes effici, aut demonstrari possint, nihil hærendum sit, quin voluntati utriusque D. Iudex obsequi debeat.

In matrimoniali namque causa, quæ gravis, & ardua est, requiruntur probationes manifestissimæ, & quæ per se plenam, perfectamque probationem conficiant, *docet. in c. si pro debitorie De off. deleg. c. 1. de consang. & affin.* sic ut imperfectæ probationes supplemento jurisjurandi non adjuvantur; sed absolvantur, qui ad capitulum seu servitutem matrimonij vocantur, *Bart. & alij in d. l. ad-*